

orica ostensibili vel reuelationis. Quia per theoricam formatur practica, & experiētia format practicam. Et per experiētiā formatur veritas clara, quæ illuminat intellectum humanum, & non labores sine ista, quia est communis sicut lux mundi.

Item ego Raymundus super theoricam testamenti: Nunc potes cognoscere, quod nulla res mundi naturaliter potest nasci, nec crescere, nec animari nisi post suam corruptionem & putrefactionem & mortificationem, quia tunc natura in naturam mutatur. Item hæc ars nullo modo debet dari medicis, philosophicis, legistis, nisi philosophis cautissimis, quia omnes alij sunt indigni habere hunc thesaurum perpetuæ saluationis, quia sine philosophia ars illa doceri nec possideri debet.

Item Mercurius viuus factus per nos, coagulat Mercuriū communē. Item fili tinctura quam tibi diximus extrahitur a nostro auro, & illud fermentum cum auro vulgi ducit eū de potētia ad effectū.

*Fermentū
duplex.*

Nota hic, quod multi decipiuntur circa extractionem Mercurij ab auro & argento, sed si bene attenderent dicta philosophorum, facillime et pauculo labore illud perficerent. Tinctura extrahitur ab auro nostro in qua tu qui legis grammaticiter exponendo intelliges. Item si negligens non fueris ad legendum & perscrutandum